

EPISTOLA

hominum generi cessuri sint Argentinenses, neque uir-
tute. Nam quod ad doctrinam attinet, prægestamen-
ta illa græcitatibus, quæ nos pro captu nostro illis suppe-
ditauimus, etiam si grammatica sint & planè puerilia
non tamen parum momenti ea crediderim habitura.
Si quis ea prægrandis illius & exuberantis doctrinæ
molis quam dies longa pollicetur, ceu epistylia quæ-
dam estimet. Cum nihil uideas nisi ex paruis princi-
piis ad summa rerum fastigia emergere, Eloquentis-
simus quisq; orator uaguit in cunis, & plus habent
hæc minutia in recessu quàm fronte promittant, ut ele-
gantissime docuit Fabius. Neq; tam nihili refert, quàm
quidam nihili homines putant, quanta cura ac sedulita-
te hæc reiectamenta, siue quisquilias aut $\pi\delta\iota\ \mu\alpha\alpha\tau\alpha$
malis appellare, à teneris studiosus imbibat. Nisi forte
stupidum quis arbitretur fuisse Aristotelem, qui inge-
nii tantam uim ac sublimitatem, ad Alexandrum Phi-
lippi Macedonis filium à puero instituendum demise-
rit. Id quod neq; sacer Hieronymus facere erubuit in
puella Christiana Lætæ filia, si ita uisum foret parenti
Quid quod musarum & gratiarum nostri seculi uni-
cum delitiū ERASMVVS ROTERODAMVS
sefe nō semel ad munus grammatici in utraq; lingua de-
miserit, & CAPNION PFORTZHEMIVS
germanicæ nostræ sempiternum decus, iam olim editis
doctis-

*Principia aet-
erni linguæ
non sunt
negligenda.*

A. 1668

Hieronymus

*Erasmus Ro-
terodamus*

Capnion